

8890 ex s. c.<sup>1</sup> | C. Vibio C. f. Pasae (sic) | Caetronian.<sup>2</sup> cos.

Romae in medio campo Martio, paullo ultra aedes q. d. Cancellariae (ad angulum viarum quae nunc sunt Corso Vitt. Em. et Vicolo Savelli) rep., tabula magna lapidei Tiburtini (Gatti Notizie degli scavi 1899 p. 435; Tomassetti bull. arch. comunale di Roma 1899 p. 280 cf. Huelsen Roem. Mith. 1903 p. 52). — 1) Pertinuit ad sepulcrum, ex senatus consulto C. Vibio Pansae, consuli a. 711, cum ex vulneribus proelio Mutinensi acceptis obisset, in campo Martio extractum, quod memoravit Livius (epit. 119). In eodem sepulcro stetit titulum VI 3542 a C. Vibio T. f. Pansa uxori positum, putat Huelsen. — 2) Inde corrigendum quod in indice Dionis lib. XLVI (vol. II p. 17 ed. Boissevain) legitur: Γ. Οὐβίος Γ. υἱ. Πάνσας Καπρωτιανός (alibi secundum hoc cognomen Pansae non reperitur).

8891 Mag. Pompeio Mag. f. Pio<sup>1</sup> imp.<sup>2</sup> augure | cos. desig.<sup>3</sup>, | por[ta]m et turres | L. Plinius L. f. Rufus<sup>4</sup> leg. pro pr., pr. des., f. c.

Lilybaei (Marsala) rep., iam Panormi (Salinas Notizie degli scavi 1894 p. 389). Tractavit Mommsen Herm. 30, 1895 p. 460. — 1) Est Sex. Pompeius, Pompeii Magni filius minor, qui Siciliam tenuit ab a. 711 ad a. 718, Magnus Pompeius appellatus etiam in senatus consulto apud Ciceronem Phil. 13, 21, 50, Magnus Pius in nummis ap. Babelon II p. 351 (sane in aliis nummis, Babelon p. 350, Sex. Magnus Pius). — 2) Postea etiam imperator iterum dici voluit, Babelon II p. 351 n. 21 seq. — 3) Augur et consul designatus fuit inde ab a. 715, Dio 48 c. 36, 4; 54, 6. — 4) Memoratur etiam ab Appiano b. c. 5, 97. 98. 122, ut dux Sex. Pompeii, qui eius iussu a. 718 Lilybaeum contra Lepidum et Caesaris copias defendit (in Appiani codicibus dicitur Πλένιος vel Πλέννιος, sed in antiqua versione Candidi: Plinius).

Fragmentum tabellae aeneae, fortasse Siculae originis, Inscr. Gr. Sicil. Ital. 935, ut ad hunc Pompeium referamus nulla causa est. (Item sine causa ad domum Sex. Pompeii Magni a nonnullis relatus est Sex. Pompeius Iustus VI 24520 = Buecheler carm. epigr. 1057: Borghesi opp. 8, 527.)

Titulum murorum oppidi Curubis a ducibus Pompeianis anno 707 vel 708 positum supra dedi N. 5319.

8892 Sentia<sup>1</sup> Lib[onis], | mater Scr[iboniae] | Caes[aris].

Romae rep. trans Tiberim a. 1890 (VI 31276 vidit Huelsen). — 1) Femina praeterea ignota; nec maritus eius (Scribonius) Libo praeterea videtur memorari. Mater ut Scriboniae Caesaris (supra N. 126), ita et L. Scribonii Libonis tribuni plebis a. u. c. 698, consulis a. u. c. 720.